

recenset corpora, nō sensu tantū, sed reuerā simplicia existimauisse. An' non enim, cū sensus examine niteretur, vñā cum fibra, carne ossibus & cæteris, venas & arterias putabat similes esse? Posterius autem dimissa sensus obscuritate, rationis rectæ bilance expendens singula, naturam partium accuratiū scrutatus, deprehēdit venas & arterias ex diuersis compositas, in classes dissimilariū traiciendas esse: cæteris, quæ sensu iuxta ac rationis auctoritate simplicia essent, omnisq; diuersæ partis expertia, in simularium statione retentis? Huius quoq; sententiæ, interpretes fuere. Leonardus Fuchsius duas facit simulariū differentias: alias, quarum vniuersæ particulæ eiusdem sint inuicem speciei, quæque reuerā similes existant primæ & simplicissime, de quibus loquitur Gal. 1. de Elementis: alias, quæ non sint reuera vndiquaq; sibi similes, & eiusdem naturæ, sed sensus duntaxat, iudicio: siquidem in partes alterius naturæ & diuersæ speciei diuidi possint. Eius generis venas esse & arterias, quas ex simularium partiū numero submo-
uerit

Instit. Med.
l. 1. Sect. 5.
cap. 1.
Simulariū
discrimen.